E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

R. P. Fabianus a Salzeno, redactor Kalendarii ad usum Fratrum Ordinis Minorum ad Franciscalem Terrae Sanctae Custodiam pertinentium, annuente hodierno ipsius Terrae Sanctae Custode, sequentia dubia pro opportuna declaratione, Sacrarum Rituum Congregationi humillime exposuit, nimirum:

I. Utrum Hierosolymis et proximioribus locis, ubi Basilica Cathedralis Sancti Sepulchri minime consecrata, Officium dumtaxat Titularis apud utrumque clerum obtineat, recoli debeat sub ritu Regularibus competente, seu duplici primae classis absque Octava, Festum SS. Nominis Iesu, in cuius honorem Ecclesia Concathedralis Hierosolymitana manet erecta, et cuius dedicatio singulis annis celebratur ab iisdem Regularibus sub ritu duplici secundae classis?

II. Et in casu affirmativo ad I, quaeritur: Utrum festum Titulare praefatae ecclesiae concathedralis sub ritu duplici 1ae classis absque octava recoli debeat *die 14 mensis Februarii* a

Fratribus Minoribus supradictae custodiae et ad enunciatum Clerum regularem spectantibus, uti apud Ordinem seraphicum universum fit, vel *Dominica II post Epiph.* ad conformitatem cum clero saeculari habendam?

III. Utrum in tota Aegypti regione Festum S. Marci Evangelistae, qui ex decretis S. R. C. 16 Martii 1729 et 11 Octobris 1743 recolitur uti *totius Aegypti patronus* sub ritu duplici primae classis cum octava adhuc a Minoritis ibi degentibus, hodie taliter agendum sit, etiamsi utriusque decreti observantia luctuosis temporum adiunctis aliisque de causis iamdiu fuerit intermissa?

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, propositis dubiis rite expensis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* iuxta alias decreta.

Ad II. Festum Triumphi Sanctissimi Nominis Iesu fiat die 14 Ianuarii, et idem festum titulare ecclesiae concathedralis Hierosolymitanae recolatur Dominica II post Epiphaniam, sub respectivo ritu.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 19 Iunii 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella
S. R. C. pro-Praef.

L. ✠ S.

D. Panici, *Secretarius.*

II.

DUBIUM.

Circa interpretationem art. 1. Decreti N.° 3999 seu Litterarum Sacrorum Rituum Congregationis diei 5 Augusti 1898, *de usu linguae Slavicae in sacra liturgia* sequens dubium, pro opportuna declaratione, Apostolicae Sedi supplicitер propositum fuit, nimirum :

Utrum privilegium linguae palaeoslavicae extinctum fuerit ob interruptum usum eiusdem linguae, intra postremos triginta annos, in illis etiam ecclesiis de quibus certo constat eas antea fuisse in legitima eiusdem linguae possessione ?

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII., attentis expositis, ex consulto eiusdem Sacrae Congregationis cuius examini hoc negotium commissum fuerat, declarare dignatus est « praefatis ecclesiis privilegium extinctum non fuisse, si usus linguae palaeoslavicae intra postremos triginta annos intermissus fuerit non voluntarie, sed ex necessitate ob externas causas impedientes, velut ex deficientia Palaeoslavorum Missalium aut Sacerdotum eiusdem linguae peritorum ».

Atque ita rescribi et declarari mandavit, ceteris praefati decreti seu Litterarum diei 5

Augusti 1898 praescriptionibus in suo robore permanentibus. Die 14 Augusti 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella
S. R. C. pro Præf.

L. ✠ S.

D. Panici, *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

DE MISSA POST ACCEPTUM NUNTIUM OBITUS.

Iis omnibus, quae Augustinus in animae Caroli suffragium egerat, haud plene contentus, statim ac illius accepit obitum, plures ad sodales suos, in variis locis, nedum in Italia sed et extra degentes, dedit epistolas, ut Missam solemnem vel saltem cum cantu facerent, pingui etiam stipendio oblato. Ex quo factum est, ut non eadem die solemnis vel cantata Missa in plurimis Ecclesiis acta fuerit, quin sermo habeatur de Communitatibus pluribus regularibus, tum illic tum alibi existentibus, quae omnes ad eamdem canendam Missam post acceptum nuntium obitus invitatae fuerant. Cum autem prima dies post nuntium acceptum, uno in loco liturgice, alio autem ex diversa causa fuisset impedita, censuit Augustinus Missam in aliam diem transferri quoque posse, utro-

que in casu, festo duplici II classis liberam, ad normam aliorum dierum, quos privilegiatos declarat Ecclesia. Hac autem sentiendi ratione variis in Ecclesiis tradita, quam et amplexati sunt relativi Rectores, gravi postmodum angi dubitatione coepit : ut cuidam rei liturgicae peritiori sequentia dubia dissolvenda proposuerit ;

1. *Quamnam praeseferat antiquitatem consuetudo Missae agendae post acceptum nuntium obitus alicuius, et cuinam causae eius origo tribuenda ?*

2. *Utrum eiusmodi Missa iisdem revera privilegiis gaudeat ac Missa aliorum dierum, seu III^tii VII^mi, XXX^mi et anniversarii, vel saltem aliquo sensu et quali, privilegiata dici queat ?*

3. *Num eadem Missa pluribus in Ecclesiis cantari possit ? Quidque Augustino suggerendum, ut dubitationem deponat ?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Angeli Andreoli, Scholae Apostolicae Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 30 Maii 1900 ; acta Epitome per R.mum Dom. Aloisium Agnoletti.

I. Quamnam praeseferat antiquitatem consuetudo Missae agendae post acceptum nuntium obitus alicuius, et cuinam causae eius origo tribuenda ?

Tenerrimus, pius ac prorsus maternus Ecclesiae affectus, ne post mortem quidem filiorum eius extinguitur, optime ait Baruffaldus. Anxia amantissima Ma-

ter ob incertitudinem status animae Christo iudici obviam factae ; nolens de aeterna illius desperare salute, neque nimis confidens de optata felicitate, dubitat an piacularibus flammis sit addicta, unde facile eam liberare posset, sibi a caelesti Sponso facta potestate, istius thesaurorum depositariae. Hinc omnimoda parat sollicitudine ea quae ad illius prodesse valent assequendam felicitatem, piis precibus, sanctis Ritibus, ac praecipue eodem Sacrificio, quo Christus Patrem placavit pro peccatis totius mundi.

Hoc pietatis atque amantissimae sollicitudinis charactere insignitam novimus Ecclesiam cunctis suae vitae aetatibus. Testes sunt Ss. Patres et Doctores ; Cardinalis Bona, Gavantus, Meratus, Martène ac liturgistae omnes concordes sunt in affirmando, a primis usque temporibus, Ecclesiam, eucharisticum obtulisse Sacrificium in fidelium defunctorum requiem. Satis sit verba Chrysostomi proferre : « Non temere ab Apostolis haec sancita sunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio (*Hom. 69 ad populum Antioch.*). Sed magis magisque Ecclesiae innotescit sollicitudo in filios ex hoc, quod peculiares statuit dies ad defunctos suffragiis adiuvandos. Et sane, haud satis sibi visum est exequias die eorum obitus aut in depositione statuisse ; nec diem III, VII, XXX (antiquitus etiam IX et XL aliosque) et anniversarium simili suffragio dedicasse ; sed diem quoque elegit quotannis ab omnibus recolendum in iuvamen omnium fidelium defunctorum. Quinimo ex animo peroptans, quamcitius defuncti spiritum aeternam consequi posse beatitudinem, consuetudinem probavit, quam fervor filiorum iam excitarat, celebrandi nempe Missae Sacrificium, vix habita alicuius mortis notitia. Sed, ut quemdam sequamur ordinem, has proponimus quaestiones : 1°. In quo praefata consuetudo, in sua prima origine, constitisset. — 2. Cuinam aetati haec origo

assignanda sit. — 3. In quo ab hodierna consuetudine differat. — 4. Quonam tempore propagari incoepit in Ecclesia, et generaliter observari ?

1. Consuetudo, de qua sermo habendus, hodie per totam Ecclesiam diffusa, originem duxit in Monasteriis. A saeculo usque VI, prout asserit Mabillonius, nec certe ultra VIII, inter diversas Monachorum Congregationes, societates erectae sunt, quae, *Societates communionis suffragiorum* nuncupabantur, quarum finis mutua reddere suffragia animabus defunctorum confratrum. Vix aliquo ex his mortuo, Abbas nuncium mittendum curabat ceteris Monasteriis, expeditis Brevibus, uti vocabantur, quae rotuli formam, iuxta eius temporis morem, habebant ; in iis autem nomen defuncti scribebatur, ac per *gerulas*, seu transmissores ad hoc destinatos, ferebantur. Haec Brevia, statim ac in Monasteriis accipiebantur, coram confratribus legebantur ; defuncti nomen in *Dypticis* describebatur, ac deinde in *Necrologio*, seu mortuorum libro, quando dyptica in desuetudinem abiere. Post Martyrologii et Regulae lectionem, ad Primam, rursum nomina legebantur, ac *conscripta in Regula*, seu *in Martyrologio*, seu *in libro vitae* dicebantur. Si nuncium de mane forte pervenisset, tunc statim Missa in defuncti suffragium decantabatur, Vigiliae fiebant, psalterium recitabatur, ac alia praestabantur suffragia (Mabillonius, *Analecta vetera*, *T. III*, *pag. 485 et seqq.*). Quaenam vero esset forma *Brevium*, quae ab uno ad aliud Monasterium mittebantur, novisse proderit. Variae formulae a Martène referuntur (*De Eccl. ritibus T. 4 ; de antiq. monachorum ritibus, tit. de suffragiis defunctorum*). Horum una est « in usum Congregationis monasteriorum Farfensium », huius tenoris : « Obiit N. N. nostrae Congregationis monachus, pro quo cuncti fideles sub sancta professione viventes humiliter petimus, apud Dominum in

tervenite ». Alia eruitur « ex libro usuum Cisterciensium (*cap. 98*) » quae ita exprimitur : « Prima Augusti obiit in monasterio (hic appositum erat nomen defuncti et patria) Sacerdos (recensebantur hoc loco diversa defuncti munera et gradus) pro cuius anima precamur orationes ex charitate, et orabimus pro vestris ». Sequitur, ad modum rubricae, ipsius formulae ad alios similes casus extensio his verbis : « et sic mutatis mutandis, die scilicet, loco, nomine, ordine et officio prout continget ».

2. Quonam tempore hae suffragiorum societates incoeperint nulla certitudine determinari potest. Mabillonius (*loc. cit.*) incoepisse asserit saeculo VI. Hanc roborat assertionem, ex epistolis Theotrudis matronae, in quibus, monachis coenobii S. Dionysii petit, veluti compensationem pro donationibus eidem coenobio factis, inscribi *in libro vitae*, ut post mortem eorum suffragiis adiuvaretur ; idque anno 43 Clotarii I, anno scilicet inter 511 et 561. Extat quoque idipsum, tempore eodem, expostulans testamentum Berthrami Episcopi Coenomanensis. At, si eiusmodi testimoniis quis non acquiescat, certus fieri potest, non ultra VIII Saeculum has erectas fuisse societates. Sanctus Beda Venerabilis (672-735), in quadam ad Eadfridum Episcopum et ad quorumdam Congregationem monachorum epistola, preces pro se vivente requirit, ac postea addit : « Sed, me defuncto, pro redemptione animae meae, quasi pro familiariis et vernaculis vestris, orare et Missas facere, et nomen meum inter vestra scribere dignemini ». Hoc, si bene intendimus, demonstrat, suo iam tempore tales extitisse sodalitates. Videri possunt et litterae societatis *inter Gallenses et Angienses monachos*, primis Caroli Magni annis, transmissae, quo videlicet tempore tales surrexerunt coetus. Ita, ipso Carolo Magno instante, Alcuinus admissus fuit ad communionem suffragiorum

ab Episcopis Synodi Francofurtensis. Alia, inter Monachos S. Dionysi et illos S. Remigii, epistola, anno 25 Ludovicii Pii, finem exponit, ob quem constituta fuerat inter ipsos societas, quae erat « eo pacto inita, ut quando aliquis ex ipsis, corporis nexibus absolutus a saeculo migrasset, unusquisque eorum, infra triginta dies psalterium pleniter compleret, ac Sacerdotes Missas eidem psalterio congruentes pro eo celebrare studerent ».

3. Martène *(lib. cit.)* aliqua refert documenta, ex quibus aperte docemur, consuetudinem Missae celebrandi, vix habito de alicuius fidelis mortis nuncio, haud aliam nunc esse, quam quae antiquitus extiterat, hac cum differentia, quod tunc ad sola restringebatur monasteria, nunc vero communis est per totam Ecclesiam. In titulo *de suffragiis defunctorum (T. 4. de Ecclesiae ritibus)* idem auctor quandam constitutionem monachorum Fuliensium transcribit *(cap. 62, Regula XXXIII)*, quae de suffragiis pro monachis defunctis loquitur, et ait : « Ut praedicta (suffragia) praestari possint, Superior monasterii in quo quisque moritur statim de eius morte provincialem admoneat, qui generalem aliosque provinciales commonefaciet ». Alia constitutio, quae est monachorum Caelestinorum *(cap. 2, § 3)* statuit : « Pro quolibet Congregationis nostrae monacho et oblato tam novitio quam professo cum habitu et gratia religionis defuncto, singulis in locis et monasteriis cantetur defunctorum Missa ut primum eius obitus ipsis monasteriis fuerit nuntiatus, et quilibet Sacerdos Missam celebret pro anima illius ». Hic obiter innuimus consuetudinem, iam tunc vigentem, qua monachi non Sacerdotes pro defuncto sacram communionem applicabant, prout habetur ex litteris Richardi Episcopi Cantorberiensis et suorum monachorum, quibus in suffragiorum societatem recipiunt Ludovicum Iu-

venem Francorum regem. Hae litterae apud Clementem Reinerium ex Benedictinis Angliae asservantur (part. 3, pag. 254), ex quibus Martène hunc refert locum : « Sacerdotes etiam cum ceteris *fratribus inferioris ordinis*, in celebratione Missae, et maxime *in perceptione Corporis Christi et Sanguinis Domini* tenentur, quantum ad hoc Deus eos inspiraverit, memoriam vestri vestrorumque facere ».

4. Ultimum documentum sub oculos ponit transitum consuetudinis, de qua loquimur, a monasteriis ad Ecclesias Cathedrales, et ab his ad universam Ecclesiam. Est epistola societatis, anni 928, inter Canonicos Ecclesiae Laudunensis et monachos S. Remigii (Mabillon, *Analecta vetera*, *tom. 3*). Praefata societas dicebatur « inita eo videlicet rationis tenore, ut cum quilibet utriusque congregationis divina vocatione hominem exuerit, omnes hoc audito mox ad tactum signorum Ecclesiam adeant, communiterque exitum pro illo decantent, ac velut ibidem praesens frater obierit, quatuor vigilias eiusdemque numeri Missas, primi scilicet, tertii, septimi ac trigesimi diei decantent ».

Concludendum ergo, ex super expositis : 1. hodiernam consuetudinem Missam cantandi post acceptam obitus alicuius fidelis notitiam originem duxisse in monasteriis ; 2. eamdem consuetudinem non esse saeculo VIII posteriorem ; 3. Saeculo IX et X eamdem generalem factam esse in Ecclesia.

Altera huius primae quaestionis pars requirit : cuinam causae origo huius consuetudinis tribuenda sit ? Variae adduci possunt huiusmodi causae ; et 1. agnosci debet in certa et viva persuasione, quam fideles, usque a primis Ecclesiae temporibus, habebant in dogmate communionis sanctorum ; 2. ut ait Martène, tribuenda est desiderio vivorum, « ut integrum ab igne purgatorio refrigerium quam citius fieri pos-

set, defunctis procurarent »; 3. facile invenitur, et praecipue in monasteriis ac ceteris societatibus, in desiderio « ut talis inter eos (monachos) *fervor charitatis et tanta vis dilectionis* maneret, ac si in uno (si fieri posset) conversarentur loco ». Haec sane, ut superius vidimus, fuit causa, cur monachi S. Remigii, inducti sint ad societatem suffragiorum statuendam cum monachis S. Dionysii.

Antequam ad alterum quaesitum transeamus, observandum est, hanc consuetudinem a Rubrica recens emendata probatam fuisse ; dum antiqua nondum adoptaverat. Titulo 5. *de Missis defunctorum*, n. 3, in conformitate Decreti Generalis S. Rituum Congregationis, diei 30 Iunii 1896, Rubrica edicit, unicam dicendam esse Orationem « quandocumque pro defunctis, solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondet, uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu ».

II. Utrum eiusmodi Missa iisdem revera privilegiis gaudeat ac Missa aliorum dierum, seu III, VII, XXX et anniversarii, vel saltem aliquo sensu , et quali, privilegiata dici queat ?

Dies quo Missa celebratur pro defuncto, cuius mortis acceptum sit nuncium, ab antiquis liturgistis appellatur : *dies quasi-obitus*. Haec denominatio v. gr. a Cavalerio *(tomo 3. Decr. 24)* usurpatur, illamque is explicans, ait : « in eo discrimen habet a die obitus, quod necesse non est quod ille sit dies mortis vel sepulturae, sed sufficit quod sit dies in quo primum accipitur notitia de obitu alicuius ». Antequam de huius diei privilegiis loquamur, ultro peten ti , quaenam Missa dicenda sit tali die, respondemus. Gavantus (in suis commentariis, *part. 4, tit. 18, n. 15)* iam sua aetate respondebat : « Pro eo qui proxime obiit, longe tamen a nobis, prima vice potest dici Missa ut in die tertio, omisso verbo *ter-*

tium ». Guyetus *(tit. 4, cap. 23, quaest. 28)* observans, quomodo die tertia Missa ordinetur ut in die obitus, logice deducebat, debere, die post acceptum nuntium obitus, dici Missam ut in die obitus. Idem asserit Bissus *(lit. M, n. 243, § 3 et seqq.)* citatus a Merato *(De Missis defunctorum, Rubrica 3, n. XI)*. Haec sententia confirmata fuit Decreto S. R. Cong.nis, in una *Canonicorum Lateranensium*, diei 4 Maii 1686, cui, in nova authentica Collectione expuncto, illud Generale substitutum est, pro Missa exequiali, die 2 Decemb. 1891, n. **3755**, in quo dicitur, quod, hoc in casu, « Missa dicenda est ut in die obitus ». Nunc ad quaestionem : Haec Missa gaudetne iisdem privilegiis diei III, VII, XXX et anniversarii ?

Privilegium, latinum vocabulum, ex aliis componitur *privus* et *lex*. Tum dicitur aliquid privilegio gaudere, cum ob id legi communi derogatur. Missa privilegiata generatim illa dicitur quae, ob speciales praerogativas, non omnimode ad normas dirigitur, quae pro ceteris statutae sunt. Missa defunctorum appellatur privilegiata, vel quia specialibus diebus celebratur, vel quia, cum celebrari certis diebus nequeat, transferri valet, praeter consuetum, pro aliis diebus non impeditis, vel quia solemnis est, et numerum habet Orationum diversum ab illo ceterarum. Pro Missis ergo de Requie, ex Rubricae lectione, primo videtur intuitu, Missas privilegiatas esse sequentes : Missa Commemorationis omnium fidelium defunctorum ; illa diei obitus seu depositionis ; alia quae celebratur diebus tertio, septimo, tricesimo et anniversario ; quae dicitur post acceptum nuntium obitus, et tandem illa de anniversario *late sumpto*, et quae celebratur pro defunctis infra octavam Omnium Sanctorum. Quibusnam gaudeant hae Missae privilegiis, notum est directe ex pluribus S. R. Cong.nis Decretis, quae postremis his temporibus emanarunt ; indirecte vero ex

Rubricis. Sed non de his omnibus sermo nobis habendus, cum requiratur tantum comparatio cum diebus III, VII, XXX et anniversario. Hinc, Missarum de die III, VII, XXX et anniversario inspectis privilegiis, comparationem inter ea quae praefatarum Missarum sunt propria, et alia quae sunt Missae, de qua in casu, instituemus, ut huic alteri quaesito fiat satis. Privilegia Missae diei III, VII, XXX et anniversarii, ad tria reduci possunt *a)* ad minorem numerum dierum impedientium ; *b)* ad ius translationis, quando in dies impeditos incidat ; *c)* ad unicam dicendam Orationem.

Omissis aliis Decretis, quae habentur circa Missas dierum III, VII, etc., satis sit Decretum Generale inspicere, d. d. 2 Decembris 1891 (*n.* **3753**, *ad I.*), quod declarat: « Anniversaria, seu Missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privatas ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, non comprehendi in Generali Decreto diei 5 Augusti, anni 1662 (quo prohibetur Missa privata de Requie diebus ritus duplicis), et prohiberi tantummodo in duplicibus primae et secundae classis, in Dominicis et festis de praecepto, infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS. Corporis Christi, nec non feria IV Cinerum, maiori hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sicut et tempore expositionis solemnis SS.mae Eucharistiae, in respectivis Ecclesiis tantum ». Decretum vero aliud datum sub eadem die (*n.* **3755**, *ad III)* habet: « Eadem Missa (una, solemnis vel cum cantu) celebrari potest pro prima tantum vice post obitum, vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, *die quae prima occurrat*, non impedita a festo duplici primae et secundae classis, vel a festo de praecepto ». Eiusmodi Decretis inter se collatis, statim patet, tam An-

niversarium, quam Missa post acceptum nuntium mortis, quoad impedimentum in hoc convenire, prohiberi nempe a ritu duplici 1.ae et 2.ae classis, diebus Dominicis et aliis festis de praecepto ; sed Anniversarium magis etiam coarctari, prohiberi nimirum et infra octavas Nativitatis, et aliis in Decreto, ut vidimus, relatis. Unde ex hoc, quod respicit impedimentum, latius patet spatium pro Missa diei *quasi-obitus*, quam pro Anniversario. Sed Missa dierum III, VII et XXX iisdem diebus impeditur, quibus Anniversarium, cum S. R. Tribunal decernat (n. III eiusd. Decr.): « Quod de diebus anniversariis pro Defunctis statuit, S. Rituum Congregatio declarat extendendum quoque ad dies 3, 7, 30 ab obitu, sive quoad Missam de requie cum cantu, sive quoad translationem ». Missa igitur, concludere possumus, post acceptum nuntium obitus, prout anniversario, ita et praestat diebus III, VII et XXX, potiori scilicet praedita est privilegio quoad impedimenta.

Omnes porro et singulae praefatae Missae in hoc conveniunt, quod unicam habeant Orationem, ad normam Decreti Generalis S. R. Cong.nis, die 30 Iunii 1896, n. **3920** (quod Decretum nunc in Rubricam transiit, uti ex Missali Romano recens edito constat) tenoris huius : « Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus 3, 7, 30 et die anniversaria, necnon quandocumque pro defunctis solemniter Missa celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, ut in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu ».

Quaerendum nunc remanet, an iisdem gaudeant hae Missae privilegiis quoad translationem. Decretum diei 2 Decemb. 1891, pro Anniversariis, num. 2 haec

habet : « Eadem Anniversaria, si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari ». Dies pro translatione liberi ii sunt, qui inter dies, sub numero 1. recensitos, non comprehenduntur. Haec item regula pro translatione dierum 3, 7 et 30 valet, ut vidimus, ipsa S. R. Cong.ne id declarante. Exinde procedit, quod horum dierum Missae, quando impedimento alicui sunt obnoxiae, possunt anticipari aut ulterius transferri, die tamen proximiori, pariter non impedito.

Hypothesis de Missa post acceptum nuntium obitus, occurrente impedimento, anticipanda absurda est, ut patet ; unde hoc sub respectu, si ita fari liceat, dies supramemorati maiori gaudent privilegio, quam dies *quasi-obitus;* qui idcirco cum sit transferendus, quaerendum est, ad quemnam diem assignandus ? Cavalerius autumavit hoc fieri posse « prima data opportunitate, et hac etiam data, id fiat intra triduum ». Huiusmodi theoria, si eo tempore, quo cl. Auctor scribebat, admitti poterat, non amplius nostra aetate retineri valet. Sacra namque Rituum Cong.tio, in Decreto iam citato, d. 2 Decembris 1891, n. **3755,** ad 3. ait « Missa potest celebrari pro prima tantum vice post obitum, vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, *die quae prima occurrat non impedita* a festo duplici primae et secundae classis et a festis de praecepto : » hinc clarissime docemur, diem, ad quam transferri valet Missa, quae celebranda foret die insequenti obitus notitiam, quae supponitur impedita, illam esse, quae, sua vice, ut illa, impedita non invenitur.

Notandum tamen hic est, quod, si non agatur de impedimento liturgico, sed de alio occurrente ob causam v. gr. pompae parandae, invitationis perficiendae, etc., expectandum, ut alias, esse diem liberum

a duplici etiam minori. Et merito, namque Ecclesia nunquam intendit extensionem privilegii ad istiusmodi impedimenta applicare.

III. Num eadem Missa pluribus in Ecclesiis cantari possit? Quidque Augustino suggerendum, ut dubitationem deponat.

Ad 1.^{um} respondeo: Affirmative; ob sequentem rationem: *a*) quia, uti vidimus loquentes de antiquitate Missae post acceptum nuntium obitus, talis Missa solemniter decantabatur in omnibus monasteriis, in omnibus Ecclesiis societatum suffragii. Documenta ad rem omnimoda luce clarescunt. Satis sit ad mentem revocasse Constitutionem Monachorum Caelestinorum (*cap. 2, § 3*), in qua legitur: « Pro quolibet Congregationis nostrae monacho et oblato . . . defuncto, *singulis in locis* et monasteriis cantetur defunctorum Missa, ut primum eius obitus ipsis monasteriis fuerit nuntiatus ». Animadvertit hic obiter De Herdt, *primum accipi nuntium* dici, non quando alicuius mors uni vel alteri manifestatur, qui Missam cantandi aut praecipiendi non habet facultatem, sed quando notitia pervenit ad Congregationem, Capitulum, Monasterium, Ecclesiae Rectorem, etc. Hoc autem impraesenti mutatum est, et limitatio sublata: ut quod Communitatibus tantum licebat antiquitus, nunc et individuis liceat. « Eadem Missa, ait Gen. Decretum d. 2 Dec. 1891, n. 3, celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum, vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrit etc. » Ubi vides, concessionem nulla limitatione coarctari quoad personas: ut proinde limitatio, quam ponit De Herdt, amplius non existat, et Decreta in contrarium facientia iam exulaverint. Sive ergo talis Missa a Communitate, sive ab aliqua particulari persona ad nullam Communitatem pertinente, in casu dici poterit post habitam notitiam mortis, puta alicuius ex parentibus, ex sodalibus etc. Ergo cani ea potest quacumque in Ecclesia.

Ad 2.um reponimus : *a)* Vituperanda non est, imo laudanda Augustini cura, ut Missa solemnis, aut saltem tantum cum cantu absque Ministris, celebraretur pluribus in Ecclesiis, ad abundantius suffragiis adiuvandam animam Caroli. Id nil difforme Rubricis et Decretis affert, supponimus enim id actum esse infra limites privilegii, imo consonat ; insuper et pientissimae Matris Ecclesiae dignum se ostendit filium, quia misericorditer egit, ut magis potuit. *b)* Nullum inconveniens in eo quod Missa vel solemnis vel cum cantu differentibus diebus celebrata sit, diversis in locis, iuxta tempus notitiae acceptae per epistolas Augustini, et iuxta rationem impedimentorum liturgicorum huc aut illuc existentium, dummodo translatio non fuerit facta ad dies 1.ae vel 2.ae classis, vel ad festa de praecepto. *c)* Quod alicubi, ex causa non liturgica, impedita fuerit Missa, die post acceptas Augustini litteras, male hic censuit et insinuavit ut fieret translatio ad diem a duplici II classis liberam; quia, ut vidimus, hoc in casu, nullum invocari potest privilegium et expectanda erat dies a duplici quocumque libera, a festo quocumque de praecepto et ab aliis impedimentis octavarum, Vigiliarum et Feriarum, privilegio fruentium.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania*. **De Hymno angelico in Missa votiva de B. Maria infra octavam eiusdem**. In Decreto d. d. 30 Iun. 1899, V. 2 (n. 3922) statuitur, quod in Missis votivis B. M. V. *Gloria in excelsis* nunquam dicatur extra Sabbatum, nisi infra octavas eiusdem B. Virginis. Haec ultima verba « nisi infra octavas eiusdem B. Virginis » intelligenda ne sunt de quibuscumque Missis votivis B. M. Virginis, an vero de iis quae celebrantur quando officium fit de die infra octavam eiusdem B. M. Virginis?

Resp. Decretum praedicat, *Gloria in excelsis* in Missis votivis de B. M. V. semper dicendum esse in Sabbatis infra annum, ne Sabbatis quidem Adventus exclusis, nunquam vero aliis diebus, nisi ii sint infra aliquam octavam eiusdem B. M. Virginis. Dubium postulat, an exceptio de *Gloria in excelsis* dicendo in omnibus diebus occurrentibus infra octavas Deiparae comprehendat quascumque Missas votivas de Beata, an illas tantum quae celebrantur quando de infra octavam Beatae fit officium. Reponimus: Quando Missa votiva de Deipara dicitur infra aliquam eiusdem octavam, sive officium de infra octavam fiat, sive non, *Gloria in excelsis* in ea Missa nunquam est omittendum, sed semper dicendum. Aliud non sonant verba Decreti; si enim excipere voluisset tantum dies, in quibus fit officium de infra Octavam Deiparae, id aperte dixisset. Sed ex adverso Decretum nominat tantum dies infra octavam: in his autem officium de infra octavam potest fieri et non fieri. Ergo, sive officium de infra octavam fiat, sive non fiat, dummodo Missa votiva infra octavam dicatur, *Gloria in excelsis* in ea dicendum est iuxta Decretum.

Notes velim tamen, Missam quae hic in Decreto votiva appellatur, eiusmodi esse quidem, sed *lato sensu*, hoc est more votivo dicendam, festiva est enim potius quam votiva. Hinc paulo ante Decretum dixerat: « In festivitatibus et infra octavas eiusdem B. Virginis celebretur Missa festivitatis, aut de die infra octavam, tamquam non votiva, sed festiva (*n. 1 circa med.*) ». Id autem, seu re, seu loquendi modo inspectis, nil novi praesefert Decretum, cum iuri antiquo inhaereat. Ita ex. gr. Decretum *Ordinis Min. Reform.* S. Franc. d. d. 26 Ian. 1793 ad 2, num. **2542** (4447) docebat in casu simili: « celebrandam Missam festivitatis, aut de die infra octavam, tamquam non votivam, si de eadem octava recitetur officium; si vero recitetur officium alterius festi, celebrandam esse pariter Missam de infra octavam, sed more votivo ». Nempe cum *Gloria in excelsis*, secus perfecte votiva foret: Equidem Decretum istud loquitur de Sabbato; sed facile patet, rationem dicendi hymnum angelicum non Sabbatum esse, sed diem infra octavam occurrentem. Sive ergo in Sabbato, sive alia die Missa dicatur, dummodo sit infra octavam dies, Missa de infra octavam erit, et *Gloria in excelsis* habebit, etsi de eadem die infra octavam non recitetur officium.

Nota. Alterum dubium resolvet Volumen indicis Decretorum: notum sit interim, in Missa votiva SS.mi Cordis Iesu omittenda esse *Alleluia*.

II. *E Smyrna*. **De lectionibus I Noct. in officio duplicis maioris ritus**. Decretum recens num. 3923, d. d. 30 Iun. 1896 praescribit, lectiones I Noct. officii dupl. mai. ritus, in posterum, non proprias sed de Scriptura esse dicendas. Verum haud ita est perspicuum, in sua expositione, ut omnem in agendo incertitudinem removeat. Quaeritur ergo quomodo intelligendum sit.

Resp. En Decretum, quod *Plurium Dioecesium est:* « Cum S. R. C. expetita fuerit a plurium dioecesium Episcopis,

num attenta multiplicatione Officiorum quae sub ritu duplici maiori conceduntur, expediat adhuc in dictis Officiis legere Lectiones I Nocturni de Communi Sanctorum, nisi propriae habeantur, pro Scriptura occurrente. *Resp.* Praesentibus rerum adiunctis inspectis, Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus I vel 2 classis; illis tamen Lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adiunctis S. R. C. approbare deinceps censuerit (30 Iunii 1896) ».

Eiusmodi est citatum Decretum, super quo sequentia animadvertimus, ut res innotescat.

a) Dicitur « *praesentibus rerum adiunctis* », quia duplicia maiora in disciplina praesenti multa sunt, uti ex Dubii etiam expositione patet, dum antiquius pauciora erant. Decreta autem statuebant in quovis duplici maiori officio lectiones I Noct. non de Scriptura sumendas, sed vel proprias, vel his deficientibus, de Communi. Duplicibus ergo maioribus multiplicatis, lectiones de Scriptura quae saepe saepius omittendae iam sunt, paulatim fere ad nihilum redigerentur, si semper omittendae essent in posterum. Hinc gravis sequeretur Sacrae Scripturae iactura, cum ceterum officii solemnitas per lectiones proprias vel de Communi vix aliquid amplius lucraretur.

b) Consequenter lectiones proprias vel de Communi reservat Decretum praesens pro solis *duplicibus I et II classis*, quae profecto minus sunt frequentia, quam duplicia maiora; sicque dat locum lectionibus Scripturae, ut frequentius legantur.

c) Excipiuntur nihilominus, etiam in dictis duplicibus maioribus, lectiones illae, quae approbatae iam fuerunt, quae adhuc proinde in duplici maiori officio legi possunt

et debent. Porro lectiones approbatae esse possunt vel propriae, vel de Communi. Si de primis agitur, eas adhuc in dup. maiori legendas esse extra controversiam ponitur ; cum nulli liceat alias lectiones pro officiis quibuscumque adhibere, quam peculiariter approbatas, si quae in Breviario sunt, et aliae legi non debeant. Quaecumque ergo Ecclesia pro quibuscumque duplicibus maioribus lectiones habet specialiter approbatas a S. R. C. eas potest et debet adhuc legere, neque alias iisdem Ecclesiis adhibere licebit. Si de alteris agitur, dubium aliquod oriri posset, quia cum sint de Communi, iam approbatae per se sunt, et S. R. C. eas non approbat iterum, sed tantum ut recitentur per sua Decreta generaliter permittit. At, hoc haud obstante, credimus lectiones de Communi , quae hucusque pro officiis duplicis maioris ritus ex indulgentia S. R. C. permissae fuerunt, adhuc esse permissas, recitarique posse. Ratio est, quia quamvis sint de Communi et per se approbatae, eas nihilominus Sacrum Tribunal per Decreta sua permittens, pro tali officio vere assignat , et approbat hoc sensu , ut recitari valeant loco aliarum lectionum de Scriptura occurrente. Quae ergo officia lectiones approbatas habent , sint hae propriae, sint de Communi, eae recitari adhuc in posterum valent, imo debent.

d) Cum vero plura officia quae in Breviario habentur, non solum duplicis maioris, sed etiam inferioris ritus, proprias lectiones habeant , vel de Communi assignatas, has quoque edicit Decretum adhuc esse recitandas, ut in alias de occurrente Scriptura mutari non debeant. Ita ex. gr. mutari non possunt lectiones I Nocturni propriae de Apocalypsi in officio dup. min. pro S. Iosepho a Cupertino (18 Sept.), sed neque mutari possunt quae prostant pro Inventione S. Stephani (3 Aug.), licet semiduplicis ritus. Sic mutari non poterunt lectiones *Beatus vir* in officio S. Dominici (4 Aug.), quae assignatae et tamquam propriae

pro illo sunt, quamvis de Communi : sicuti mutandae non sunt lectiones de Communi seu *in festis B. M. V. per annum* « *Ego Sapientia* » in tot officiis duplicis maioris ritus eiusdem Deiparae, propter eandem rationem. Ita de aliis officiis pluribus aliorum Sanctorum.

e) Denique, quod ceterum per se patet, lectiones sive proprias, sive de Communi mutare nunquam quisque debebit aut poterit, quas S. R. C. approbare iudicaverit in posterum pro sua sapientia in aliis officiis vel concessis vel concedendis. Sacrum namque Tribunal, legem quamcumque ferens, sua numquam libertate se privare intendit aliquid praeter legem indulgendi.

Concludimus proinde, Decretum relatum *Plurium Dioecesium* ita intelligendum, ut nulla vi, sicuti dicitur, *retroactiva* polleat.

III. *E Castello Saltus rotundi*. **De Missae privatae defunctorum qualitate in semiduplici.**

a) Cum in die *cere* anniversario alicuius defuncti, cuius diei ritu non prohibentur missae votivae privatae, Sacerdos pro eius anima missam celebrat omnino privatam et sine ulla solemnitate (v. g. in privato familiae Sacello), quam missam debet legere ? missamne « in anniversario def. » cum *unica* huius missae oratione, an missam « quotidianam » cum tribus orationibus ?

b) Cum primo die libero (sc. missas privatas votivas admittente) post acceptum Sacerdotis defuncti nuntium Sacerdos pro requie eius animae missam privatam celebrat, debetne legere missam ut in die obitus Sacerdotis an missam quotidianam ?

c) Licetne Sacerdoti die libero pro defuncto celebrante missam quotidianam pro libitu legere, non habita ratione diei tertii, septimi, trigesimi, anniversarii etc. (excepto tamen die Commem. omnium Defunctorum, qui

censeri non potest libera, cum eius missa sit de praecepto) ?

d) Si vero defunctus, cuius agitur anniversarium sit pater vel mater Sacerdotis celebrantis, et una tantum dicenda sit oratio, quaenam oratio eligenda ? Oratio missae « in anniversario, » an oratio « pro patre vel matre, » qua magis proprie designatur persona defuncta et quae cum intentione Sacerdotis magis congruit ?

Resp. Haud difficiles credimus petitiones propositas, dummodo Rubricae attente perpendantur. Supponendum est primo, in testis duplicibus unam tantum Orationem esse dicendam (*Tit. IX Rubr. Gen. Miss. n. 1*). Haec autem Rubrica de festis, nihil prohibet quominus ad Missas defunctorum applicari valeat, sicque principium seu norma generalis efformari possit, vi cuius Missa de duplici unicam Orationem admittat. Quid autem praedicat Rubrica circa Orationes in Missis defunctorum ? « Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicuius defuncti, nec non quandocumque pro defunctis solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu et in Anniversariis late sumptis (*Tit. V, n. 3*) ».

Sed vero « In missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes etc. (*Loc. cit. n. 4*) ». Quid autem haec distinctio significat ? Hoc profecto, in Missis de requie respondentibus officio duplici unam esse dicendam Orationem, in Missis respondentibus officio semiduplici vel inferiori ritui, Orationes dicendas esse plures. Etenim Missae dierum, quos prima

Rubrica enumeravit, ideo sunt privilegiatae et unam admittunt Orationem, sive sint cantatae sive lectae, modo hoc in casu ex ritu permittantur, quia respondent officio duplici; et ideo Missae quotidianae plures admittunt Orationes, quia privilegiatae non sunt et non respondent officio duplici.

Missae ergo de requie privilegiatae, seu quae diebus privilegiatis fiunt, sint cantatae, sint lectae, nihil interest, et unam semper Orationem admittunt, respondent enim ritui duplici: Missae non privilegiatae, seu quotidianae, hoc est quae diebus privilegiatis non fiunt, plures admittunt Orationes, quod ritui semiduplici vel inferiori respondent. Ex quo patet, solemnitatem Missae de requie, sicut omnium votivarum, non desumi ex cantu, ex ministris sacris, ex apparatu Ecclesiae etc., sed tantum ex ritu duplici, seu ex diebus privilegiatis, qui ritu duplici, quod spectat officium defunctorum, gaudent.

Consequenter Missa vere anniversaria, cum permittente ritu dici, fiat in Ecclesia, fiat in privato Sacello, fiat in Oratorio semipublico, cum respondeat officio defunctorum duplici, unam habere debet Orationem et non plures, quia non est quotidiana, seu quae privilegio caret, sed privilegiata, ac proinde solemnis, respondet enim officio solemni seu duplici.

Patet ergo responsio ad Dubium *a*), videlicet, Sacerdos in casu debet legere Missam *in anniversario def.* cum unica huius Missae Oratione, et non Missam *quotidianam* cum tribus Orationibus.

Sed et patet responsio ad alterum Dubium *b*), nempe, debet legere Missam ut in die obitus Sacerdotis, et non Missam quotidianam, quia dies post acceptum nuntium obitus est privilegiata iuxta primam Rubricam superius relatam, respondetque proinde officio defunctorum duplici.

Quod vero pertinet Dubium *c*) reponimus affirmative.

nisi de aliqua peculiari obligatione constet. Quia Missam agere privilegiatam, etsi private, diebus privilegiatis, id ritu permittente, privilegium est cuicumque privato Sacerdoti a Rubricis concessum. Cumque non usus privilegii nemini damnum afferat, ei renuntiare privilegiatus bene poterit. Ceterum privilegium illi tantum favet Sacerdoti qui Missam facit *diebus pricilegiatis*; hoc autem idem est ac dicere, *de diebus pricilegiatis*, uti bene consideranti patebit. Si ergo iis diebus Missa non fiat de iisdem diebus, sed dicatur quotidiana, perspicuum est Missam esse tunc debere quotidianam, hoc est cum tribus Orationibus, cum praeter illas quae privilegiatae sunt, nonnisi quotidiana detur.

Quod denique spectat Dubium *d)*, cuius solutio ex praemissis certe non sequitur, sequentia animadvertimus. Sicuti dies obitus, ita dies tertia, septima, trigesima et anniversaria, propriam habet Orationem : hoc patens est. Nihilominus post quatuor defunctorum Missas habentur **Orationes diversae pro defunctis**, quarum in principio notat Rubrica: « 1. In die depositionis et anniversario Summi Pontificis, dicitur prima Missa ut supra... praeter Orationes, quae dicentur ut infra: » sequuntur tres dictae Orationes. « 2. Pro defuncto Episcopo dicitur prima Missa ut supra... Orationes vero ut infra : » et tres pariter pariter sequuntur dictae Orationes. Inde prosequitur : « Pro defuncto Sacerdote etc. pro Episcopo alia Oratio etc. ». Aliae postea sequuntur etiam Orationes *pro uno defuncto*, *pro una defuncta*, *pro Patre et Matre Sacerdotis* etc. etc. Nonne itaque, sicuti praefatae Orationes positae in num. 1. dicuntur in obitu et anniversario Summi Pontificis, quae in num. 2. ponuntur, locum habent in obitu et anniversarii defuncti etc., ita aliae dici optime possunt in Missa diei obitus, aut anniversarii relativi defuncti ? Nonne consequenter Orationes in num. 7 vel 8 positae

dici etiam poterunt in die obitus aut anniversarii pro Patre et Matre, vel pro alterutro ex parentibus Sacerdotis? Ceterum, si id neges, quaeri potest qua de causa Rubricae praefatae inscriptae sunt in Missali? Aliunde dictae Orationes ut quid paginas occuparent Missalis?

Pro casu peculiari facit et sententia Guyeti docentis: « In tertia Missa *(hoc est in Anniversario)* Oratio *Indulgentiarum* non mutatur, nisi in Anniversario Sacerdotis, pro quo dicitur Oratio *Deus qui inter Apostolicos* ex Gavanto hic num. 11. Item in Anniversario Patris et Matris dicitur ab ipsomet tantum Sacerdote *Deus qui nos patrem et matrem* etc. (*Lib. VI, Cap. XXIII, quaest. 29, Tertio*) ». Verum de mutanda Oratione *Indulgentiarum* die anniversaria, in alteram ex duabus praefatis plane convenimus; sed de ea mutanda tantum in solo duplici casu allato, haud vero in aliis, hoc nobis suadere nequimus. Quae enim mutationis ratio, nisi quia Orationes *Deus qui inter Apostolicos* et *Deus qui nos patrem et matrem* inter Orationes diversas inscribuntur in Missali, uti in die anniversaria, pro opportunitate dicenda? At non solum praefatae duae inibi inscribuntur, sed aliae multae;si ergo Oratio *Indulgentiarum* in illas mutare licet, in alias mutare quare non licebit? Quidquid sit, hoc pro responso sufficiat; ut certum sit in die anniversaria proprii patris vel matris aut utriusque, Celebrantem Orationem pro patre et matre dicere posse.

IV. *E Civitate Castelli.* **De festo Titularis Ecclesiae in alia peragendo.** Capitulum Ecclesiae Cathedralis, eo quod in propria ecclesia solemnia parentur pro centenaria Patroni festivitate, ad Ecclesiam S. Francisci, extra fines Paroeciae chorum absolvit. Titulus Cathedralis est S. Laurentius Martyr. Missae quae in die festo eiusdem Sancti in Ecclesia S. Francisci celebratae sunt et quae per Octavam

celebrantur, gaudentne *Credo*, sicut gaudent in propria Ecclesia ?

Resp. Affirmative. Ecclesia S. Francisci non utuntur Capitulares in casu uti tali, seu uti S. Francisco hoc est Deo in illius honorem dicata, quamvis revera sit eiusmodi ; sed ea utuntur tamquam Ecclesia propria, seu S. Laurentii. Cum enim propria sit impedita, aliam *per se* non propriam illi sufficiunt Capitulares, et ad breve tempus ac *per accidens*, ut festa ad Ecclesiam S. Laurentii pertinentia in S. Francisci commode celebrare queant. Ecclesia proinde S. Francisci stat pro S. Laurentii, et omnia festa huius Ecclesiae propria, maxime Titularis, in illa celebrari debent, ut in impedita celebrarentur. Secus et frustra Capitulares altera Ecclesia uterentur, nisi festa propria in ea agere possent, et S. Titularis suo privaretur honore, et Ecclesia S. Francisci, uti talis, ad Capitulares pertinens dicenda foret, quod falsum est. Quod autem Ecclesia S. Francisci extra fines paroeciae sita maneat, nihil prorsus interest, cum ea tantum ad tempus, per accidens, et ex Ordinarii permissione Capitulares utantur.

Toto proinde iure et festum S. Laurentii in Ecclesia S. Francisci celebratum fuit, et Missae omnes, sive solemnes, sive privatae, sive in festo, sive per octavam de eodem S. Martyre celebratae fuerunt, et ut par est, symbolum in iis omnibus dicendum erat, sicut in Ecclesia S. Laurentii.

V. *E Civitate V.* **De duobus Decretis, quae iniuste incohaerentia dicuntur.** Quomodo intelligenda sunt haec duo Decreta S. R. C. N. 3756 et 3924 ad VI (in Codice novo), mihi enim videntur inter se repugnare. Nam in decreto diei 2 Decembris 1891 Sacra Rituum Congreg. declaravit: officia praestantiora in casu translationis reponenda esse proximioribus diebus, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant. In decreto autem diei 3 Iulii

1896 eadem S. R. C. dicit: Festum Titularis Ecclesiae aut patroni loci non posse, sine indulto, transferri accidentaliter ad primam diem sequentem, simplificato vel omisso festo occurrenti. Nonne festum Titularis connumerari non potest inter festa praestantiora?

Resp. Duo Decreta, de quibus in casu, ne umbram quidem incohaerentiae praeseferunt. Primum enim agit de festis duplicibus II classis, quibus in Calendario locus infra annum non suppetit. Indulget itaque S. R. C. eo in casu, ut dicta duplicia II. cl. reponi possint diebus, quos semiduplicia, vel, in horum defectu, duplicia minora occupant, Doctorum Ecclesiae exceptis. Cum autem, ex lege, primi seligendi dies pro hac repositione deberent esse dies semiduplicis ritus, ut dies ritus duplicis occupari non debeant nisi in semiduplicium defectu, advertit Decretum, eo haud obstante, officia praestantiora occupare etiam posse duplicia minora, ut priusquam minus praestantia celebrentur, dummodo tamen in anni decursu omnia semiduplicia occupari debeant. Haec dispositio primi decreti, quod pertinet ad suppositam incohaerentiam.

Quid vero alterum disponit? Imprimis et ante omnia ipsum agit de duplicibus I classis; loquitur enim de festis Titularis Ecclesiae locique Patroni, quae semper sub hoc ritu recoluntur. Est autem impossibile ut duplicia I classis ita in Calendario impediantur, ut locus iis non suppetat infra annum. Haec est autem ratio, ex qua in primo duorum Decretorum sola duplicia II cl. nominantur, et ne verbum quidem de duplicibus I classis. Hoc ergo quod pertinet, nulla est inter primum et alterum Decretum relatio, ut proinde incohaerentia vere repugnet.

Sed, quod magis est, secundum Decretum agit de duplici I cl. impedito ab Octava privilegiata, et de eo petitur utrum transferri possit *ad diem primam immediate post Octavam et impeditam?* Respondet autem: *Negative*

sine speciali indulto. Ubi vides, hic pariter relationem inter duo Decreta esse prorsus nullam, proinde nullam esse inter ea incohaerentiam posse.

Illatio itaque, quam trahit adm. Rev. Consulens, non sequitur e duobus Decretis: ut festa Titularis et Patroni certe praestantiora sint, immo quasi dicam praestantissima; sed, secluso indulto, reponi certe ex Rubricis nequeant in primam diem post Octavam privilegiatam, si impedita dicta dies fuerit.

VI. *E Dioecesi Baioncnsi.* **De Rubricae et Decreti cuiusdam supposita contradictione inter se.** Rubricae Breviarii volunt quod « in ecclesiis S. Paulo dicatis die 29 Iunii primae Vesperae de Titulari insequenti celebrentur? Nonne ista rubrica repugnat novissimo decreto quod praecipit ut in occurrentia et in *concurentia* festum Titularis semper locum cedat festis solemnioribus universalis Ecclesiae, quale est *evidenter* festum commune beatorum Petri ac Pauli?

Resp. Admitti profecto debet, festa solemniora universalis Ecclesiae nulli alii cedere festo, sive in occursu, sive in concursu; quomodo ergo festum Apostolorum Petri et Pauli Vesperas cedit Commemorationi S. Pauli in Ecclesia propria? Si res bene perpendatur, casus iste legem generalem infirmare non valet, imo penitius considerata, vix exceptionem valet constituere. Imprimis enim brevis de hac Commemoratione enarranda est historia. « Solebat (ait Gavantus ex Baronio *in Notis Martyrol.*) Summus Pontifex obire pridie pontificias functiones in utraque Ecclesia S. Petri et S. Pauli; ob distantiam vero locorum consultius visum est, duobus diebus *integrum* **de iis agere festum** (*Lect. VII, Cap. VIII, n. 30* ». Ex quibus verbis iam clarescere incipit relatio utriusque festi inter se, ut taceamus de ratione institutionis et de convenientia, ut summus Pontifex, qui pridie celebraverat S. Petrum in una Basilica, S. Paulum sequenti die celebraret in altera.

Sed, quod magis interest, inquirimus num festum S. Pauli pertineat nec ne ad festum, quod celebratur die 29 Iunii? Nam indubie ea die recolitur uterque ex Principibus Apostolorum Petrus et Paulus. Iam nunc, paucis exceptis, hymnis videlicet, aliqua re in lectionibus II Nocturni, et Oratione, reliquum officii ad S. Petrum exclusive pertinere satis patet. Quamvis ergo festum ad utrumque Principem pertineat, S. Petrus magis quam S. Paulus ea die recolitur: ut etiam communi populorum voce festum diei 29 Iunii, S. Petri Apostoli appelletur. Posita ergo festi sequentis institutione, seu Commemorationis S. Pauli, quod duplex tantum minus fuit, et paucis abhinc annis ad duplex maius evectum est pro universa Ecclesia, quid magis aequum et congruum, quam saltem in Ecclesia propria dictum festum celebretur cum integris primis Vesperis? Festum S. Petri fere exclusivum celebratum est, incipit festum S. Pauli, unus et alter principes Apostolorum sunt; habeat ergo saltem in propria Ecclesia S. Paulus Vesperas integras, cum utrumque festum duplex I cl. sit, et S. Petrus sola commemoratione contentus. Nonne videt adm. Rev. Consulens singularem prorsus casum, pro quo specialis quoque Rubrica efformanda erat, quae proinde Decreto nulli opponitur, sed et Rubrica et Decretum omnem sapientiam redolent?

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Valle Neti in Sicilia.* Occurrente festo S. Antonii Patavini die 13 Iun. (dupl. 1. cl. cum. oct.) cum die octava Corporis Christi, cum de illo agendum sit, istud autem commemorandum iuxta peculiarem Rubricam, Praefatio erit de Nativitate, est enim magis propria. In concursu autem S. Antonii cum sequenti festo Sacratissimi Cordis Iesu, Vesperae integrae erunt de festo S. Antonii, et sola fiet com. octavae Corporis Christi.

II. *Pro Castello Saltus Rotundi.* Sacerdos nulli Ecclesiae addictus, quamvis in Ecclesia B. parochiali Missam quotidie faciat, et choro diebus festis assistat, aut illius Ecclesiae Calendarium sequitur, aut diversum. Si illud, potest et debet in privata recitatione officii agere suffragium dictae Ecclesiae Titularis: si istud, nequit. Celebratio enim Missae, et etiam assistentia in choro in illa Ecclesia nonnisi ex devotione privata, vel ex conventione derivant, quae efficere non valent, ut Ecclesia eadem ad ipsum pertineat: quod exigitur ut Titularis commemoratio in suffragiis fiat.

III. *Pro eod. loco.* Ex Gen. Decreto 4043 ad VII com. de Patrono loci, in eiusque defectu Patroni dioecesis, in suffragiis tunc tantum agenda, cum talis viget consuetudo.

IV. *Pro eod. loco.* Canonici honorarii unum tantum, sicut reliqui de numero, Calendarium sequi debent. Aut ergo tenentur in casu ad Calendarium Ecclesiae Cathedralis, in qua Canonici honorarii sunt, et tunc, etsi privatim officium recitent, non solum possunt, sed et debent omnia agere officia illi Ecclesiae concessa: aut aliud se-

quuntur Calendarium, et tunc in privata recitatione hoc sequi tenentur, et peculiaria officia Ecclesiae indulta recitare nequeunt, nisi utrumque sequi illis indultum sit: quod admitti posse satis difficile reputamus. Quod pertinet vero ad suffragium Titularis Ecclesiae, in quo Canonici sunt ad honorem, cum ipsi Ecclesiam illam iure habere possint pro sua, illud eos agere posse credimus, sicut Canonici de numero.

V. *Pro Budvicio Bohemorum.* Certe Ecclesia Cathedralis haberi propria potest ab universo Clero, magis tamen propria pro Clero Cathedralis, quam pro Clero Civitatis Episcopalis, et a fortiori minus propria pro Clero totius Dioecesis. Clerus enim Cathedralis Ecclesiae pertinet ad illam ratione beneficii et omnimodae subectionis. Clerus civitatis Episcopalis solius non tamen aequalis subiectionis; Clerus vero Dioecesis ratione pariter solius subiectionis, quae etiam minor est, quam pro Clero Ecclesiae Cathedralis et civitatis Episcopalis.

VI. *Pro Baiona.* De consuetudine circa funera, quae diebus solemnioribus, omissa tamen Missa, peraguntur, excepto triduo ultimo maioris hebdomadae ad feriam usque secundam paschatis, quid dicere possumus? Sicuti contra Rubricas, ita contra Decreta ad minus Generalia, credimus non praescribi; et consuetudines illis contrarias servari non posse. Vel certe ut licite serventur, S. R. C. prius audienda.

VII. *Pro eod. loco.* Expositio Sacramenti pro Oratione 40 Horarum fieri potest ad Missam iuxta Instructionem Clementinam; sed fieri etiam potest a primis Vesperis, quia dicta Instructio non obligat extra Urbem. Consuli potest Episcopus, ut quod melius in Domino iudicat, id fiat.

EVENTUS LITURGICUS

ET

ANIMADVERSIONES

Eventum enarramus, haud resolvendum casum, ad sacram tamen Liturgiam pertinentem: ex quo et utilitatem percipient certo lectores, et fortasse etiam voluptatem.

Ecclesia B. in civitate N. ad quamdam Confraternitatem pertinens privilegio fruebatur, vi cuius in unoquoque anno, primo Sabbato mensis Iunii celebrare poterat festum Deiparae, quae ibi sub peculiari titulo recolebatur. Festum constituebatur ex Missa votiva solemni B. M. Virginis, quae de more pontificaliter fiebat, et ex Benedictione quae solemniter impertiebatur populo post Missam.

Hoc anno, primum mensis Iunii Sabbatum incidit in Vigiliam Pentecostes; et caeremoniarum magister, qui alter erat laicus ex Confratribus ad praefatam societatem pertinentibus, ob privilegium, quod perpetuum sciebat, omnia disposuit, ut dicta Missa Deiparae in paramentis albis concineretur.

Episcopus invitatus praeparationi ad Missam operam dabat in sacrario, dum fortuito in illam se contulit Ecclesiam Titius quidam Sacerdos, qui caeremoniarum magistri munere, alia in Ecclesia eiusdem civitatis, fungebatur. Solers hic et vigil rem animadvertens, omniaque pro Missa votiva in promptu, adit sacrarium, accessitque

ad Episcopum se praeparantem, eique exposuit, Missam votivam de Deipara, esto solemnem, in Vigilia Pentecostes esse omnino vetitam, haud obstante privilegio, quod ad dictam Vigiliam extendi nequibat, sed de eadem Vigilia esse vi Rubricarum necessario canendam, hinc et in colore rubeo. Sed et addidit, nefas esse ut Missam, maxime pontificalem moderaretur Confrater laicus; sive quia tantae imperitiae reum se ostendebat, sive a fortiori, quod neque talari utebatur et cotta, quam pro eiusmodi adimplendo officio lex postulat. Titii libertatem aegre Confrater tulit, hinc et sustinere coepit, rubeis adhibitis paramentis, necesse fore ut Episcopus rediret post Missam in sacrarium, qui alia seu albi coloris paramenta induerat, imo caligas et sandalia rubea in alba mutaret, ut benedictionem cum Sacramento post Missam impertiret. Ignorantiam Confratris, et caeremoniarum magistri interim munere fungi praesumentis, demiratus Titius, Episcopum monuit, paramenta pro benedictione non esse necessario mutanda, sed velum humerale album sufficere: quod et factum est.

Super Missa votiva Deiparae in Vigilia Pentecostes. Excusari posset Confratris **ignorantia,** quam potius diceremus **nescientiam**, nisi praesumptio accederet in munere exercendo, quod illi non competit, ut tardius dicemus. Ceterum quare saltem Confrater ille, cum Vigiliae Pentecostes ignoraret ritum, addiscere neglexit Calendarium Cleri Romani ad pag. 7, sub titulo « Praenotanda »? Vidisset profecto, si legere quidem sciisset, sequentia verba: Missae votivae . . . sive privatae sive **solemnes prohibentur** . . . Vigiliis Nativitatis Epiph. et **Pentecostes** ». Eo saltem viso praenotando, errorem non admisisset, atque perturbationi pepercisset, quae comprobata est in toto mutando functionis ordine.

Invocavit quidem Confrater privilegium perpetuum,

quo Confraternitatis Ecclesia ditata est a S. R. Cong.ne, sed perperam. Eiusmodi enim privilegii invocatio non solum ignorantiae, sed et praesumptionis suae argumentum est nihilque aliud. Ignorantiae, quia privilegia probe intelligenda sunt, et ad id nequaquam trahenda, quod nullo pacto concedunt. Iam nunc, omnia id genus privilegia ex consueta formula sic conceduntur, ut serventur Rubricae; hinc formula de more apponitur, qua concluduntur : **servatis Rubricis**. Quid autem Rubricae exigunt? Ut Vigilia Pentecostes aequiparetur Dominicae primae Adventus et Quadragesimae, Dominicae Passionis, Palmarum etc. quae nulli festo cedunt, neque ipsis duplicibus primae classis, sunt enim et ipsae primae classis, quamvis semiduplicis ritus. Etenim **Notandum** 1. post tabellam occurrentiae explicite docet : *quod duplex quodcumque etiam Patroni et Tituli Ecclesiae vel Dedicationis eiusdem occurrens in* . . . . **Vigilia Pentecostes** . . . . *transfertur, si transferri caleat, aliter de eo fit commemoratio . . . vel penitus omittitur*. Quinimo, etsi de simplici actum esset in officio Vigiliae, quaevis in Missa Vigiliae eiusdem, commemoratio omittenda praescribitur (*Rubr. Gen. Miss. Tit. IX, n. 9 et Decret.*). Iam nunc in his diebus enumeratis, aliisque quos Rubrica memorat, Missae votivae, utcumque solemnes, etiam *pro re gravi et publica Ecclesiae causa*, sunt omnino interdictae, nulloque unquam privilegio a S. R. C. conceduntur (*Decr. Gen.* **De Missis votivis**, II, n. 2, 30 Iun. 1896) : quod Decretum antiqua sancit et confirmat (1).

(1) Unam novimus exceptionem, quam supremus Liturgiae factor et custos Leo Papa XIII, quem diu adhuc Deus sospitet, summo iure meritoque pro semetipso fecit, nec tamen sine peritiorum consilio, de quo testes ipsimet sumus. Quod profecto et Pontificis maximi sapientiam et humilitatis virtutem pandit.

Sed et praesumptionis quoque diximus argumentum; qua enim de causa miser laicus Rubricarum imperitus Decretorumque, ipsiusque Calendarii, quod fortasse, ex defectu saltem praxis, ne intelligit quidem, ac si totius scientiae liturgicae plenus esset, iudicare audet de qualitate Missae, tali die faciendae, ipsumque fortasse Episcopum bona fide, vel melius ab attentione facile abductum, in errorem inducere? Eiusmodi saltem in eo modestia esset peroptanda, ut rei liturgicae peritos consuleret, a quibus instrueretur quid agendum. Sed aliqua ad id scientia, apprime scimus, requiritur, scientia videlicet, ex qua dubitare quis valet: qua tamen ignorantia ac praesumptione pleni destituuntur. At consilio eos iuvamus, ut quod eos minime spectat relinquant, aliique disciplinae adficiant animum: fortasse feliciores evadent.

Super benedictione subsequente Missam. Verum est quidem, benedictionem cum Sacramento in paramentis albi coloris generaliter esse peragendam, cum color albus sit Sacramenti proprius. At specialis casus, in quo Benedictio Missam vel Vesperas sequi debet, aliud postulat.

Quamvis enim apprime nosset, legislatorem ad legis suae observantiam non teneri, nisi ad exemplum, quod in casu nulla vi pollebat: nihilo tamen minus Missam votivam solemnem ex solo peritiorum consilio, imo exhortatione et, quasi dicam, obsecratione celebravit. Singularissimum accidit eventum anno 1893, cum Leo Papa XIII, praesente ac plaudente, per repraesentantes suos, toto terrarum Orbe, in Vaticana Basilica, Dominica prima Quadragesimae votivam agebat Missam de Trinitate, in gratiarum actionem Deo, quod quinquagesimum annum ab Episcopatu expleverat. Summa namque prudentia iudicatum fuit, haud profecto convenire, ut moestus praefatae Dominicae ritus servandus esset, cum universus mundus dictae Missae assisteret agendi causa triumphi pro tanti Pontificis salute et incolumitate.

Reverti quidem *per se* posset in sacrarium, Missa vel Vesperis absolutis in colore ab albo diversis, ut alba paramenta pro Benedictione sumantur. Sed nulla id agendi obligationem Rubrica inducit, imo potestatem facit eiusdem coloris, nigro excepto, paramenta in Benedictione adhibendi. Legas Instructionem Clementinam (§ *XVIII*), et pro certo habebis, in functione quacumque respiciente Sacramentum adhiberi posse paramenta illius coloris, quae pro Missa praecedente vel Vesperis adhibita fuerunt. Consule Decretum in *Tagen.* d. d. 9 Iul. 1668 ad Dub. 6, patebitque, « quando cantatur Missa cum commemoratione Sacramenti, Celebrantem et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis; et etiam posse in processione, sed albo utendum super humeros velo ». Ratio unica est, quia processio immediate Missam sequitur; idem ergo ex identitate rationis de Benedictione dicendum, dummodo haec Missam immediate sequatur. Suffragatur et ratio; non enim convenit tempus inutiliter terere pro reditu in sacrarium, cum statim Benedictio sequatur Missam, et aliunde super alterius coloris paramenta, quibus Celebrans utitur, velum album adhiberi debeat.

Quod vero Episcopum spectat in casu nostro, cum deponere casulam debeat, ut pluviale assumat, satis erit apud faldistorium exuere ipsum Episcopum casula et dalmaticis, quae ad Missam pertinent, et pluviali induere coloris Missae, uti necesse erit et Ministros manipulum deponere. Sed necessitas revertendi in sacrarium, ex parte Episcopi omniumque ministrorum, sustineri nec potest nec debet, cum nulli rationi innitatur. Ceterum quid scire potest de re liturgica, eiusque ratione caeremoniarum magister laicus? De eo nunc dicendum.

Super caeremoniarum magistro laico. Caeremoniarum

magistro laico nihil magis repugnat, sive lex inspiciatur, sive ratio legis, et repugnantia eo est enormior quo solemnior est functio ; ut si de functionibus agatur pontificalibus, sicut in casu, laicus magister caeremoniarum paradoxum agens appellare posses. Et sane aperiatur Codex normas exhibens circa eos, quibus liturgicas functiones dirigere competit. Audias Caeremoniale Episcoporum perspicue docens : « Curabit . . . Episcopus, ut duo . . . adspectu et statura corporis convenienti, **et multo magis scientia**, et **bonis moribus praediti, experti** et **dociles** ad eiusmodi onus (*ad onus nempe caeremoniarum magistri*) assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in **presbyterali ordine constitutus**, bonis artibus instructus, et si fieri possit, **iuris canonici** vel **theologiae intelligentiam** habeat, **divinorum officiorum ac rituum ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator**. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium (*Lib. I, Cap. V, n. 1*) ». Haec pro primo, pro altero autem sic disponit praefatus Codex : « Alter vero iunior, qui saltem in **sacro Ordine sit constitutus**, praecipuam curam geret circa personam Celebrantis ac ministrorum illius . . . . Eorum habitus sit honestus et **clericalis**, super . . . . cottam mundam induet . . . . Episcopi cura erit omnes tam Canonicos, quam alios de choro praemonere, ut ipsis Ceeremoniariis in his quae ad divinum cultum spectant sine contradictione **obediant** (*Loc. cit. num. 3, 4, 5*) ».

Haec lex probati servandique Codicis, ex qua nullo labore inferes: viro laico, sit quoque cuiuscumque Confraternitatis pars, nullo pacto licere munus satis nobile exercere magistri caeremoniarum, cum nec Presbyter esse possit nec Subdiaconus, neque clericalem vestem gerens,

imo supponatur in casu habitu Confraternitatis indutus (1). Inferes etiam, virum quemcumque de gremio Cleri cum sacco aliisque Confraternitatis insignibus non posse caeremoniarum magistri munere fungi, quod super talarem habitum ecclesiasticum, sive nigri, sive violacei coloris, si privilegium extet, caeremoniarum magister induere superpelliceum vi legis teneatur.

Sed et ratio legis perpendenda, profecto aequitatis et sapientiae plena. Ex verbis enim superius e Codice liturgico depromptis evidenter patet, omnibus choralibus aliisque de clero inservientibus obediendum esse caeremoniarum magistro, quod et Decreta confirmant et roborant. Quid ergo est in actu functionis caeremoniarum magister, nisi totius functionis moderator, quem respicere omnes debent, non **uti famulum**, prouti Decretum in una *Dubiorum* declarat, sed **Directorem** (*31 Maii 1817 ad 10*) ? Eapropter in actu officii est veluti **superior**, cui omnes clerici obtemperare tenentur, hoc est ministri inferiores non solum, sed et maiores, Canonici, Praelati, atque ipsemet Episcopus pontificalia peragens. Quid autem magis indecorum, ut laicus, et quod peius est, uti talis apparens in ipsis indu-

(1) Notare iuvet haud veritati consentaneum esse, Caeremoniale Episcoporum obligare tantum Cathedrales et Collegiatas Ecclesias. Nam Clemens Papa VIII dictum Codicem, ait, *in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse* **praecipimus et mandamus**. Hae autem personae sunt omnes ecclesiastici, cum Caeremoniale praedicetur in Constitutione *Cum novissime*, **omnibus Ecclesiis**, praecipue autem Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis **perutile ac necessarium**. Ratio patet; quia nempe functiones in eo Codice descriptae, etiam pontificales, non solum in principalioribus, sed etiam in aliis inferioribus exercentur Ecclesiis.

mentis, functionem dirigat, toti clero legem, quam fortasse ignorat, audacter imponat? Ubi honor cleri, ubi peculiariter dignitas pontificantis Episcopi? Nonne applicari iure merito posset illud Ecclesiastes: « Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum (*10, 6*) ? ». Haec sint satis, ut taceamus de imperitia laicorum in ritibus et caeremoniis, de prudentiae atque urbanitatis defectu, de incuria in actibus liturgicis moderandis, ac de aliis pluribus, quae Dei cultui detrimento vertunt.

SOLUTIO QUAESTIONIS

Pro mense Octobri 1900

PROPOSITIO.

Protonotarii Apostolici ad instar possuntne, uti Pontificalia Missarum, ita Pontificalia Vesperarum, aliarumque minoris gravitatis functionum Pontificalia agere ?

SOLUTIO.

Suppono imprimis, Protonotariis Apostolicis ad instar competere ius Missam pontificalem agendi, saltem extra Urbem. Constat ex Constitutione Pii Pp. IX **Apostolicae Sedis**, n. XIII. Item suppono, uti certum, dictam Missam eos non posse celebrare pontificaliter, nisi sub conditione, ut Episcopus Ordinarius expresse det suam veniam. Quod si ageretur de Ecclesia exempta, requireretur etiam assensus Praelati, cui illa subest : ita ex citatis Constitutione et numero. Denique iuvabit quoque supponere, Protonotarios ad instar eam Missam celebrantes, non omnibus ornamentis pontificalibus uti posse, sicut Episcopos,

sed tantum illis, quae recenset citata Constitutio ad num. XVI. Brevi in ea Missa Pontificali servandam esse in omnibus dictam Constitutionem Summi Pontificis.

His suppositis ad maiorem declarationem propositae quaestionis, ad hanc resolvendam venio. Duo quaeruntur, quorum primum respicit Vesperas, alterum vero alias minoris gravitatis functiones, an nempe illas et istas Protonotarius agere valeat pontificaliter. Agam 1. de his functionibus secundariis, quia haec quaestio facilioris solutionis est : 2. de Vesperis, quae difficultatem important.

Quoad functiones istas dicimus : Aut sunt connexae cum Missa pontificali, et si Vesperae quoque pontificales Protonotario permittuntur, quod videbimus, cum his quoque connexae sunt, aut non. Si prima hypothesis verificatur, respondeo affirmative : sin autem, negative. En probatio, quae debet certo admitti, quia constat ex ipsa lege. Verba Constitutionis **Apostolicae Sedis** sic sonant : « Pontificalia ornamenta (*Protonotarii Apostolici*) assumere nequibunt in Missis pro Defunctis, in Processionibus, et quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus, *nisi forte Missam solemnem immediate praecedant aut subsequantur* (num. XVII) ». Quid autem intelligi potest *pro functionibus minoris gravitatis*, de quibus in proposita quaestione, nisi illae quas innuit Constitutio? Et quid etiam intelligi potest per verba ; *nisi Missam solemnem immediate praecedant aut subsequantur*, quam quod sint cum Missa connexae? Ergo, prima pars responsionis mihi probata videtur ex ipsa lege, saltem quoad functiones minoris gravitatis, si sint connexae cum Missa solemni. Sed posita permissione Vesperarum, probatum quoque mihi videtur, si dictae actiones cum Vesperis solemnibus connexae sint ; quia eadem est ratio, et ubi eadem est ratio, eadem etiam debet esse iuris dispositio. Si vero hae functiones non sint connexae cum alia principali, tunc certum est quod Protonotario dicendae sint prohibitae ; prohibentur enim ipsi *pontificalia ornamenta in Missa pro defunctis, in Processionibus, et quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus*, nisi actionem principalem praecedant, aut sequantur. Ergo, cessante connexione, cessat etiam permissio.

Nunc ad Vesperas. Noto imprimis, quod Constitutio loquitur de Missa, sed non de **sola** Missa ; ergo non excludit Vesperas, saltem explicite. Patet praemissa ex numeris XIII, XIV, XV et reliquis Constitutionis ; quia nunquam, cum Missa nominatur, exprimitur **sola** Missa.

Sed potes subsumere : Protonotariis Apostolicis ad instar prohibentur indumenta pontificalia in Missa defunctorum , in Processionibus *et in quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus ;* ergo et in Vesperis. Respondeo, quod Vesperae non sunt actiones minoris gravitatis, quam Processiones, sed maioris; non ergo potuit Constitutio eas comprehendere *in aliis quibuscumque functionibus*. Insuper Vesperae primas tenent post Missam; si ergo eas prohibere voluisset lex, ante Processiones certe nominasset et posuisset : quod non fecit. Denique Constitutio ait de istis functionibus : « nisi forte Missam praecedant, aut subsequantur » : sed Vesperae nunquam possunt praecedere Missam. Ergo in verbis Constitutionis, quae obiiciuntur, repugnat ut comprehendantur Vesperae.

Pro functionibus ergo, quae Missam aut praecedunt aut subsequuntur, de quibus Constitutio, non possunt intelligi nisi illae minoris gravitatis, quae sicut excludunt Missam ita et Vesperas.

Obiicere etiam posses alia verba num. VIII, ubi dicitur : *Ornamentis Pontificalibus* **pro Missa solemni tantum** *indultis*. Sed ibi manifeste agit Constitutio de Missa privata, quam iubet omnino conformem aliis simplicium Presbyterorum, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, et cereorum numerum. Ad Vesperas ergo excludendas non possent trahi praedicta verba, nisi violenter, et praeter vel etiam contra intentionem legislatoris.

Ergo datur locus interpretationi in favorem Protonotariorum. Primo ex regula iuris tertia dicente : « Si de mente legislatoris constet, interpretatio facienda est potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur ». Atqui de mente legislatoris satis constat ; ergo. *a*) Quia si Vesperas voluisset excludere Constitutio, profecto exclusisset, quod non fecit. *b*) Exclusisset facile per unum

verbum, concedendo usum ornamentorum pontificalium in **sola** Missa solemni, quod e contra non dixit. Ergo legislatoris intentio non fuit excludendi Vesperas pontificales, sed unum concedendo, aliud quoque concedere intellexit.

Confirmatur ex vi correlativorum. In his namque idem est iudicium et eadem disciplina, ita ut, sicut ratiocinatur Andreucci *(n. 158)*, quod statuitur in uno, intelligatur statutum et in altero, cum regula correlativorum sit regula parium. Cum autem Vesperae solemnes correlativae sint ad Missam solemnem, ut constat ex cap. 2 *de feriis*, sequitur quod statutum de Missa solemni, intelligatur statutum de Vesperis solemnibus. Hinc citatus cl. auctor notat : « Certe inconveniens esset, ut qui mane celebravit solemniter in Pontificalibus, idem deberet sine illis Vesperas celebrare (*Loc. cit.*) ».

Quamvis ergo, spectato rigore verborum, sola Missa possit pontificaliter celebrari a Protonotariis ad instar, adeo ut applicari posse videretur illud apud Iuristas tritum : *Privilegium tantum valet quantum sonat* ; nihilo tamen secius, si duplex ratio allata attente inspiciatur, dicendum est, illis quoque Vesperarum celebrationem esse indultam.

Praeterea Summus Pontifex Pius IX in Constitutione *Apostolicae* **Sedis** intendit certe removere abusus, qui in Protonotariis irrepserant circa pontificalium ornamentorum usum, uti advertit ab initio eiusdem Constitutionis ; sed revera nihil voluit detrahere ab iis privilegiis quae a Praedecessoribus suis concessa fuerant iisdem Protonotariis : vel si detraxit aliquid, aperte dixit. Hinc Protonotarii ad instar ante hanc Constitutionem, seclusis privilegiis particularibus, de quibus in notula quam innuit Constitutio *Apostolicae Sedis*, tenebantur sese conformare Decreto Alexandri VII, quod refert novissima Collectio Decretorum sub num. **1141** (2003). Hinc cl. De Herdt, quamvis Constitutionem **Apostolicae Sedis** referat, non tamen notare omittit, plura contenta in praedicto Decreto respicere quoque Protonotarios Apostolicos, sicuti alia plura eosdem non spectare (*Prax. Pontif. Tom. 3, num.* **348,** *adnotat. ad* 7). Ita loquens de pluribus ministris advertit : « Haec, quae hoc numero 7 praescribuntur et permittuntur, respiciunt Abbates et Praelatos

in propria Ecclesia celebrantes, non autem Protonotarios etc. (*num.* 7) ».

Confirmatur ex Decreto in una *Venetiarum*, 8 apr. 1854, quamvis e nova Collectione deleto ob suam inutilitatem praesentem. Hoc namque agit de exercitio Pontificalium et caeremoniis in eo servandis a Sacerdote Ioanne Baptista Chega, qui cubicularius antea, postea Protonotarius ad instar factus fuerat. Quaerit autem : « 1. An, praevio semper Ordinarii assensu, Protonotariis Apostolicis nuncupatis ad instar Participantium, ac Participantium privilegiis fruentibus, Pontificalium exercitium vel tantummodo usus sit concessus ? Et quatenus affirmative tantum quoad usum, quaenam caeremoniae . . . adhibendae sint in Missa solemni celebrata ab ipsis Protonotariis . . . . ? Respondet autem S. R. C. : « Affirmative ad utrumque iuxta modum ; et modus est, ut in Pontificalibus regulae omnino serventur, quibus Praelati Episcopo inferiores obstringuntur ». Videlicet, quae pro Praelatis Episcopo inferioribus Alexander Papa VIII in supra citato Decreto praescribit.

Atqui in dicto Decreto exercitium Pontificalium non respicit tantum Missam, sed etiam Vesperas, imo et Matutinum, agitur enim de *Missis Pontificalibus, nec non Vesperis et Matutinis pontificaliter . . . celebrandis* (num, 13) ». Aliunde usus Pontificalium, in casu, est privilegium concessum toti Corpori Protonotariorum, consequenter, uti docet S. Alphonsus, debet esse latae interpretationis (*App. de Privileg. Tract. 1 de legib. n. V*). Privilegia enim, ait S. Doctor, alicui Corpori concessa praesumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum praestitorum, et ideo omnia habentur tamqaam favorabilia. Hoc autem quoad Protonotarios certum est ; eos enim Summus Pontifex hoc privilegio ditat, qui Ecclesiae fuerunt benemeriti. Adde, non posse sustineri quod iuri deroget tertii, seu Episcopi ; sive quia Pontificalia Protonotariorum ab illis Episcoporum satis superque differunt, sive quia eorum venia requiritur.

Si ergo de Vesperis tacet Constitutio peculiaris circa Protonotarios ad instar, si eas explicite non excludit, si ratione correlativorum intelligi possunt et fortasse debent, si in alio

Decreto pro Praelatis Episcopo inferioribus expresse conceduntur, si natura privilegii postulat ut late interpretetur, arbitror me posse concludere : Protonotarii Apostolici ad instar possunt, uti Pontificalia Missarum, ita Pontificalia Vesperarum, aliarumque minoris gravitatis functionum Pontificalia agere : dummodo hae ultimae, sicuti Missam ita quoque Vesperas, aut immediate praecedant, aut immediate subsequantur, seu sint cum illis connexae.

Ita salvo iudicio peritiorum (1).

Ioseph D' Adamo.

---

(1) Relata solutione typis mandata, altera ad Directionem pervenit cl. A. Fourneret, quae oppositam tenet probatque sententiam. Prima ratio sententiae oppositae est auctoritas, cui alia auctoritas adversatur. Altera consistit in interpretatione doctrinali, cui alia quoque interpretatio pariter doctrinalis opponitur. Tertiam constituit quoddam inconveniens : quia Pontificalia Vesperarum exerceri nequeunt cum omnibus Insignibus Missae propriis: ut in concessione Missae non videantur Vesperae comprehensae, nisi hae cum Missa eadem sint connexae. Hinc Vesperas dicta solutio considerare videtur tamquam actum liturgicum quasi minoris gravitatis quam, processionem reliquasque functiones ecclesiasticas. Quod tamen, ob momenta in dicta solutione relata, nobis minus aequum apparet. Pro quarta ratione stare potest interpretatio eorum, quae scribit Andreucci, ut scilicet, tunc tantum Vesperas Pontificales Apostolicus Protonotarius ad instar valeat celebrare, quando cum Missa sint connexae, seu eam vel praecedant vel sequantur immediate : et in hoc statuit vim *correlativorum*, super qua insistit Andreucci. At pro veritate reponendum est, aliam esse certo auctoris mentem. Ait namque : « Dicendum est primo posse eos uti Pontificalibus etiam **in Vesperis solemnibus, aliisque functionibus** Missae solemni, **aut Vesperis solemnibus . . .** adnexis, puta in processione, vel simili functione, quae a Celebrante Missam solemnem, **vel Vesperas,** alicubi contingeret fieri (*uum. 158*) ». Hinc patet Ve-

APPENDIX

E Sacra Congregatione Indulgentiarum

DECRETUM

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita fer. IV, die 4 Aprilis 1890, quum disceptatum fuisset super facultate Sacerdotum iter transmarinum facientium excipiendi Fidelium eiusdem itineris comitum sacramentales Confessiones, E.mi ac R.mi DD. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, ad omnem in posterum hac super re dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam; decreverunt ac declararunt: *Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario Confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi toto itinere durante Fidelium secum navigantium Confessiones excipere, quanvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquandiu consistendum sit, diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subiectis*

Hanc autem E.morum Patrum resolutionem SS.mus D. N. Leo div. prov. PP. XIII per facultates E.mo D. Cardinali S.

---

speras non accipi ab Andreucci uti functionem connexam cum Missa, sed uti a Missa prorsus separatam, quacum aliae minoris gravitatis functiones possunt esse connexae, sicuti cum Missa. Adeo ut Missam et Vesperas non dicat auctor connexas, quia altera post alteram functionem locum habeat, sed praecise quia dictae duae actiones *per se et ex natura earum* correlativae sunt.

Redactio.

Officii Secretario impertitas, benigne adprobare et confirmare dignatus est.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E S. Congregatione Episcopi et Regular.

DECLARATIO

In Congregatione Generali diei 6 Aprilis. 1900, proposito dubio circa praecedentiam Tertiariorum Ordinis S. Francisci aliorumque Ordinum Regularium in Processionibus, E.mi Patres declarandum esse consuerunt: *Tertiarios S. Francisci, necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habere ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria Cruce ac veste uniformi induti, vulgo* SACCO.

Facta de praemissis relatio SS.mo N.ro LEONI PP. XIII in Audientia habita supradictis die, mense et anno ab E.mo Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, Sanctitas Sua praefatam declarationem approbavit et publicari mandavit.

Fr. HIERONYMUS M. Card. GOTTI, *Praef.*
A. PANICI, *Secretarius*

E Sacra Poenitentiaria

Il sottoscritto Gaetano M. Sergio Barnabita supplica umilmente la S. Penitenzieria per le opportune dichiarazioni intorno ai seguenti quesiti:

I. Se la presente concessione di lucrare il S. Giubileo fino a due volte per chi ripeta le opere ingiunte, possa ritenersi estensibile ad un numero maggiore di volte, e anche *toties quoties* posta la ripetizione delle medesime opere.

II. Se le persone notate nella Bolla, come le claustrali o simili, che non andando a Roma possono nondimeno in quest'anno guadagnare l'Indulgenza del Giubileo, potranno fruirne anche nell'anno venturo quando sia esteso fuori di Roma.

III. Si domanda il medesimo per chi, recatosi a Roma questo anno vi guadagni il Giubileo, se cioè potrà fruirne di nuovo quando sia estesa la grazia fuori di Roma, ripetendo le opere ingiunte.

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet:

Ad I. Extra Urbem illi, quibus ex Bulla Aeterni Pastoris *licet consequi Iubilaeum, bis tantum illud, iteratis operibus iniunctis, intra Anni Sancti decursum, consequi possunt. In Urbe vero, toties quoties.*

Ad II. et III. Affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 17 Martii 1900.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.